

tionem veniæ: imo, si inhonoratio fuit admodum gravis, venia petenda est flexis genibus, ut satisfactio sit adæquata; ut cum S. Antonio, Salmanticensibus, & aliis tradit de Ligorio.

CAS. II. Sejus furatus est aliquot oves jam tonsas Cajo; deinde ex nova lana lucratus est multum. Q. an teneatur restituere Domino etiam hoc multum, acquisitum ex lana.

Resp. affirmare Rebellum de Just. part. 1. lib. 2. quæst. 4. num. 2. & alios non paucos, inquietantes lanam istam esse fructum naturalem. Ast negat Pharaonius de Restit. sess. 29. cas. 32. cum aliis, eo quia hujusmodi lana numeratur inter fructus industriales, ut testantur Card. Tuschus Pract. Concl. tom. 4. Concl. 485. num. 5. Menochius lib. 2. de arbitr. cent. 3. cas. 210. num. 26. Azorius, & alii apud Sanchez. in Dec. tom. 1. lib. 2. cap. 23. num. 53., quoniam non modica industria, & cura intercessit in pascendis, & custodiendis ipsismet ovibus; ubi e contra fructus naturales dicuntur, in quibus industria hominis non est necessaria, ut loc. cit. docet Tuschus num. 12. Tertiam tamen mihi placet inire viam, hujusmodi lanam recensendo inter fructus mixtos cum Giribaldo de Restit. cap. 2. dub. 5. num. 45. ideoque dico, Sejum teneri Domino restituere etiam hoc multum acquisitum ex lana, deductis tamen expensis, ac æstimatione industriæ. Ratio est, quia etiam talis lana est fructus rei alienæ: quamvis enim partim procedat ab industria, & partim a natura; tamen quia natura principales quoad eam habuit partes in operando, censetur fructificasse Domino ovium; cui proinde sicuti deberetur lana, si apud ipsum cum ovibus adhuc extaret; ita his cum lana apud Sejum amplius non extantibus, eidem Domino debetur illud multum ex lana acquisitum, facta prædicta deductione; ut sic nec malæ fidei possessor ditescat ex re aliena, nec Dominus fructum reportet ex aliena industria, & expensis; quemadmodum ibidem num. 49. docet laudatus Girib. cum Bonac., Lugo, & aliis.

CAS. III. Cajus bona fide emit a fure rem furtim ablatam, eamque postea alteri vendidit, qui pariter eam vendidit tertiæ personæ. Q. an sive Cajus, sive is, cui rem ipse vendidit, deinde agnoscentes, hujusmodi rem esse alienam, teneantur in conscientia servare indemnem hunc tertium emptorem, rescindendo Contractum?

Resp. quamvis probabile videatur neutrum in casu teneri rescindere Contractum cum tertio emptore, ut hunc servet indemnem; eo quia Cajus cum eodem nullum inicit Contractum, & alter videtur propriæ obligationi satisfacere, si eidem cedat actionem, quam ipse habet contra Cajum; tamen si tertius emptor instet contra secundum, & hic contra primum pro rescissione Contractus, dico, secundum ad id teneri in conscientia, ut servet indemnem hunc tertium emptorem; primum vero ut sic servet, non tertium, cum quo vere non contraxit, sed secundum. Ratio utriusque partis est, quia licet ambo in venditione processerint bona fide, tamen de utroque illorum verificatur, quod respective vendiderit rem vitiosam; ac proinde respectivo emptori teneatur pretium restituere, absque eo quod possit illum remittere ad alium, cum quo non contraxit; ut cum Bonacina de Restit. qu. 4. pun. 2. Soto, Lessio, & aliis, recte inquit de Ligorio de Rest. dub. 5. num. 61. Quod valet etiam si convenierint non teneri de evictione, ut aperte constat ex l. *Emptorem §. qui autem ff. de Action. Empt.* Hinc sicuti si quis vendat alteri vitrum pro gemma, vel solvat monetam falsam pro legitima, vel permittet auricalcum pro vero auro, tenetur in conscientia rescindere Con-